


Si tibi marmorei pereuntia limine templi  
Munera, & Eoi non damus orbis opes:  
Paupertas pietatis amans exosaque fraudi,  
Et mens plena fide te, puer alme, capit.  
Simplicius quid erat miseris pastoribus usquam?  
Tu tamen hos primos in tua sacra vocas.  
Dum domini rerum, & vincti fortassè Lyæo  
Reges lenta gravi membra sopore levant,  
Plebs contempta, capax fidei tamen, occupat antrum,  
Neglectis gregibus, lata libensque tuum,  
Occurritque tibi: sic his quoque versibus (illos  
Non ignoro tui muneris esse) fave.  
Et tu, fide mihi semper, NÜSSLERE, sodalis,  
Quem Musæ norunt & Themis esse suum,  
Huc magna steterat quæ prisca colonia Romæ,  
Non licet hoc etenim corpore, mente veni,  
Et vati largire tuo, majora quis optet?  
Vel paululum ex genii nobilitate tui.  
Nam me languor edax, & membra exercita morbis,  
Vix digitos, taceo plura, movere sinunt.  
Hora tamen clemens, post tot discrimina rerum,  
In patria rursum te mihi junget humo.  
Interea, nam sola ferè mihi vota supersunt,  
Vive, & me melius, dulcis amice, vale.



MARTI-

61112